

*modus excitandi valde conformis est providentiæ, et necessarius in natura lapsa.* — Estque hic modus excitandi et trahendi animam valde conformis sapienti providentiæ Dei, et valde necessarius homini, præsertim in natura lapsa. Primum patet, quia utraque potentia intellectus, et voluntatis, est de se valde improporcionata ad supernaturales actus, et ideo ad suavem providentiam pertinet paulatim illam sublevare, procedendo ab imperfecto ad perfectum; ergo sicut intellectus hoc modo ducitur a Deo prævia gratia excitante, ita etiam voluntas. Unde in ipsa hominis justificatione hoc ipsum ordinarie Deus observat, ut descripsit Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 6, ubi varios ponit actus ad utramque potentiam, ex quibus aliqui sæpe possunt ad gratiam excitantem pertinere, ut divino timore concuti, desiderium aliquid salutis concipere. Et secundum patet, quia per originale peccatum non solum ignorantiam contraximus, sed multo magis infirmitatem et imbecillitatem bene operandi, ut recte docet divus Thomas 2. 2, quæst. 109, artic. 2, ad 3; et sumitur ex Augustino, de Natur. et grat., cap. 63, et 1 Retract., cap. 9, ut exponitur ab eodem divo Thoma 1. 2, quæst. 85, art. 3, ad 5. Ergo sicut intellectus indiget excitatione propter ignorantiam, ita debet excitari voluntas propter difficultatem bene operandi: quæ ratio in sequenti magis explicabitur.

10. *Tertia quorundam ratio.*—Tertiam rationem addunt aliqui, quia voluntas, priusquam aliquem motum gratiæ excitantis in se recipiat, nullum habet supernaturale principium ad eliciendum actum supernaturalem perfectum, seu deliberatum: ergo indiget excitante gratia per quam tanquam per proximum principium possit elicere deliberatum consensum, si velit. Antecedens supponitur, quia ante excitantem gratiam non præcedunt habitus infusi, neque alia transiens qualitas, quæ illorum vicem suppleat, ut in præcedentibus capitibus ostensum est. Consequentia vero probatur, quia voluntas non potest operari sine aliquo principio proximo, neque excitatio solius intellectus illi potest ad hoc munus deservire, quia est illi extrinseca; principium autem operationum, intrinsecum esse oportet potentiæ operationem elicienti.

11. *Nihil addit præcedentibus, si intelligatur de principio moraliter attrahente.* — Hæc vero ratio vel nihil addit præcedentibus, vel efficax non est, neque subsistit, nam de duplici principio intelligi potest, scilicet morali aut

physico: si ergo solum intelligatur de principio moraliter attrahente, inclinante, aut etiam adjuvante voluntatem, sic hæc ratio nihil addit præcedentibus, quin potius etiam pia cogitatio intellectus dicitur passim ab Augustino initium bonæ voluntatis, quia metaphorice movet illam, quæ est motio moralis, sive reducatur ad causalitatem finalem, sive ad efficientiam moralem, ut est consilium, monitio, reprehensio, et similia. In hoc vero genere, magis proprium et propinquum principium voluntatis est motus aliquis delectationis, aut timoris, vel desiderii ejusdem voluntatis; his enim motibus magis disponitur ipsa potentia ad ulteriorem consensum, et ad applicandum intellectum ad melius considerandum et practice judicandum, ut declaravimus; et ob hanc rationem diximus esse necessarios hos motus voluntatis, quod perinde est ac dicere esse necessarios, ut principia moraliter inducentia voluntatem. Et hoc sane modo explicat ubique Augustinus necessitatem et causalitatem istorum motuum, ut in locis allegatis videre licet, et maxime in 2 libro de Peccator. merit., capit. 17.

12. *Sin autem de principio physico, ut quidam moderni volunt, non subsistit.*—Si autem ratio illa intelligatur de principio physico, ut aliqui moderni illam intelligere videntur, mihi non videtur subsistere. Primo, quia gratia excitans per se, non ad hoc ponitur ut sit principium physicum efficiendi aliud, sed ut formaliter excitet, et vigilare faciat potentiam, et ideo per se habet ut sit actus secundus et elicitus, non quod sit eliciens, seu producens, quod magis pertinet ad actum primum. Secundo, quia esse principium physicum consensus magis pertinet ad gratiam adjuvantem, ut infra videbimus. Quod si quis dicat eandem gratiam excitantem fieri adjuvantem, quando concurrat cum potentia ad consensum, esto hoc verum sit in proprio genere moralis adjutorii, ut infra videbimus, nihilominus de adjutorio physico (ut sic dicam) gratis hoc dicitur, quia hoc valde accidentarium est ad proprium munus et necessitatem gratiæ excitantis. Tertio, hujus rei signum est, quia etiamsi supponatur in potentia supernaturale principium physice sufficiens ad supernaturalem actum, adhuc est necessaria gratia excitans, ut capite sequenti dicemus. Et patet in puero baptizato, ad usum rationis perveniente, nam licet habeat habitus infusos, excitandus est, ut possit actu credere vel amare. Unde fit etiam propositionem illam in dicta ra-

tione assumptam, quod excitatio non supponit habitus infusos, non esse in universum veram, nam interdum potest ita esse, interdum non esse. Ex quo potius colligitur gratiam excitantem, sive in voluntate, sive in intellectu, non requiri ut sit principium physicum alterius actus. An vero quasi concomitanter id habeat, saltem quando deest aliud physicum principium, controversi potest. Id tamen commodius infra tractabo, et ostendam excitantem gratiam hanc physicam efficientiam per se non habere. Nunc solum addo necessitatem illius principii non recte probari, ex eo quod voluntas non potest elicere actum supernaturalem sine prævio principio physico supernaturali sibi inhærente, nam ipsummet actum gratiæ excitantis elicit sine tali principio, ut illimet Theologi non negant, et capite præcedenti a nobis ostensum est, ubi consequenter diximus quod idem contingere possit in primo actu supernaturali et libero, quod iterum in dicto loco magis ex professo examinabitur.

13. *Recentiorum placitum quadripartitum.*—*Prima propositio.*—*Secunda.*—*Tertia.*—*Quarta.*—Non omitam autem advertere quosdam alios ex recentioribus Theologis sentire imprimis gratiam excitantem esse necessariam, ut voluntas habeat principium intrinsecum, quo possit efficere liberum actum supernaturalem; nihilominus negare principaliter hoc esse ipsos actus indeliberatos, quia unus actus immanens non est principium formale effectivum alterius. Et ideo dicunt, tertio, excitantem gratiam non consistere formaliter et essentialiter in his actibus indeliberatis, sed in motione virtuali et efficaci, per quam tanquam per principium formale Deus operatur in nobis tam indeliberatos actus, quam deliberatos supernaturales. Unde quarto addunt hujusmodi actus indeliberatos non ex necessitate antecedere perfectam conversionem, etiamsi gratia excitans ordine naturæ necessario illam antecedit.

14. *Resolutio.*—*Rejicitur tertia propositio.*—*Admittitur secunda.*—Verumtamen tertiam istarum propositionum jam supra impugnavimus, et ostendimus esse falsam, præter communem Scholasticorum modum loquendi et explicandi gratiam excitantem, solum videri inventam ad introducendam illam motionem virtuosam et efficacem, contra quam aliqua jam supra diximus, et plura in hoc libro 3 et infra dicturi sumus. Hæc igitur tertia propositio rejecta, et retenta secunda, quam veram censemus, prima non potest subsistere, quia nulla relinquitur gratia quæ possit esse

principium formale efficiendi actum deliberatum, jamque est a nobis ostensum, et iterum infra probandum est, tale principium inhærens potentiæ non esse simpliciter necessarium ad eliciendum actum, sed tunc solum quando potentia connaturali modo seu ex habitu operatur.

15. *Quarta improbat.*—Quartum vero dictum horum Theologorum ego absolute, et sine ulla limitatione, affirmare non audeam, nec censeo esse admittendum. Nam Concilia satis expresse docent gratiam illam prævenientem, quæ tangit cor per illuminationem et inspirationem, esse absolute necessariam ante perfectam conversionem peccatoris, vel ante voluntatem credendi; ita enim loquitur Concil. Arausic., canon. 4, 5, 6 et 7; et Concil. Trident., cap. 5, et canon. 3. Et eodem modo Augustinus eundem justificationis et initii ejus ordinem ponit. Unde merito Cardinalis Bellarminus, lib. 6 de Grat. et liber. arbitr., cap. 15, ex professo probat, ex Conciliis et Patribus, sine gratia excitante, quam ipse in dictis actibus indeliberatis ponit, nullum motum pietatis fieri posse, et tacite reprehendit Vegam qui, lib. 6 in Trident., cap. 7, ausus est dicere, cum sola gratia adjuvante, sine excitante, posse interdum justificationem perfici, cum tamen Vega per gratiam excitantem non intelligat nisi prædictos motus; et eandem sententiam, nominato Vega, reprobat Vasquez 1. 2, disput. 85, cap. 3, in fine, et Valent., 2 tom., disput. 8, punct. 3, § 1, in fine. Sed de hac opinione Vegæ iterum capite sequenti dicam; nunc tantum assero gratiam illam excitantem, qua Deus incipit cor movere per actus non liberos, communi et ordinaria lege esse simpliciter necessariam ad perfectos et deliberatos actus supernaturales, quibus ad justitiam disponimur, efficiendos.

16. *Refelluntur conjectura in contrarium supra num. 2.*—Neque contra hanc resolutionem obstant conjecturæ quæ in contrarium fiebant, quia de Concilio Tridentino jam dictum est, quomodo sit intelligendum, nam inspiratio per tactum cordis explicatur; et eodem modo intelligendum est Concilium Arausicanum. Augustinus vero sub pia cogitatione intellexit seu comprehendit bonum affectum voluntatis, qui vel cogitatione intellectus excitatur, vel vicissim illam movet, ut explicatum est, et ad eundem modum explicanda sunt alia loca Augustini, quamvis non semper utrumque modum declaret, non enim id semper necessarium est. Et eodem

modo intelligendi sunt alii Patres explicantes verbum *trahendi*. Nam licet interdum illam tractionem explicent per verba pertinentia ad intellectum, quia inde incipit tractio, non excludunt motus voluntatis sequentes cogitationem intellectus, et vim tractionis consummantes. Et hoc modo a Pelagio, qui in utroque erravit, recedendum est.

17. *Assertio tertia, quæ satisfacit rationi dubitandi supra num. 4.* — Nihilominus tamen, propter rationem dubitandi prius propositam, existimo necessitatem hujus motionis, per actum vitalem non liberum, non esse tam absolutam, et per se, in voluntate sicut in intellectu; ita docuit sine alia delaratione P. Vasquez, tom. 2, disp. 38, cap. 4, in fine. Ratio autem est, quia non est tanta subordinatio et causalitas per se inter actum indeliberatum et deliberatum ejusdem voluntatis, quanta est inter actum non liberum intellectus, et liberum voluntatis. Nam hæc posterior provenit ex intrinseca natura talium potentiarum, et in genere causæ finalis, et quasi formalis ex parte objecti, est quædam dependentia essentialis inter ipsos actus. Hæc autem non invenitur in prioribus actibus ejusdem voluntatis, sed ibi necessitas oritur ex imperfecto modo, quo homo procedit in suis actibus ab imperfecto ad perfectum. Et fortasse hæc necessitas vel tota, vel majori ex parte, provenit ex imperfectione præsentis status naturæ lapsæ, ut in capite sequenti magis explicabo. Declaratur denique, quia de potentia absoluta, seu per miraculum, vel extraordinarium auxilium, non apparet repugnantia, ut ita proponatur immediate a Deo fides et iudicium credulitatis ejus in intellectu, ut possit voluntas statim moveri actu deliberato ac perfecto ad volendum credere; quia neque motus indeliberatus tunc apparet necessarius aliqua sufficienti ratione, neque videtur habere locum cum tam perfecta advertentia intellectus, nec denique scit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, ut vel non possit ita subito illuminare perfecte intellectum, vel statim etiam voluntatem ad deliberate volendum adjuvare. Quia vero hic modus deliberandi et iudicandi multum superat connaturalem modum operandi hominis, præsertim in natura lapsa, ideo in hoc statu communi lege accenditur voluntas, et movetur per actus indeliberatos, priusquam perfecte consentiat.

18. *P. Molinæ mens elucidatur.* — At vero, ut aliqua gratia excitans in intellectu non præcedat ante primum motum deliberatum volun-

tatis, nec per miraculum fieri posse videtur, quia, ut suppono, fieri non potest ut voluntas in incognitum feratur. Scio P. Molinam, in Concordia, absolute dixisse, de potentia absoluta posse in nobis fieri per gratiam actus supernaturalis et perfectos sine his præviis motibus excitantis gratiæ. Sed ille procedit in eo fundamento, quod gratia excitans nunc solum requiritur ut principium per se efficiens illorum actuum, et ideo consequenter ait Deum posse per se supplere illam efficientiam sine principio creato. Nos autem non credimus esse illud munus gratiæ excitantis, ideoque non solum credimus posse Deum illam efficientiam supplere, sed etiam de facto ita facere, quoties voluntas, non ex habitu, sed disponendo se ad recipiendum habitum operatur. Et ideo necessitatem gratiæ excitantis ex proprio ejus munere aliter sumimus, ut declaratum est, et hanc necessitatem ex parte intellectus tantum esse invenimus, ut per solam efficientiam Dei in voluntate suppleri non possit, quia illa necessitas non fundatur tantum in efficientia, sed in causalitate aliquo modo formali, seu objectiva. Ideoque recte dixit Augustinus, de Prædestin. Sanct., cap. 2, neminem posse credere, nisi prius cogitet esse credendum; illa autem cogitatio est excitatio: de motibus autem voluntatis facile illam sententiam admittimus, ut jam dixi.

19. *Assertio quarta. — Excitans gratia esse potest etiam in parte sentiente.* — Ultimo, addendum est gratiam hanc excitantem non solum esse posse in intellectu et voluntate, sed etiam in parte sentiente, vel quantum ad phantasiam seu cogitativam, vel quantum ad appetitum: nam utriusque potentiæ dispositio multum confert ad motionem superiorum potentiarum, quia intellectus pendet ex phantasia, et ideo phantasmata convenientium objectorum, et bona coordinatio illorum, maxime conducit ad intellectus illuminationem. Similiter voluntas per quamdam concomitantiam afficitur juxta affectus appetitus, ut sunt timor, complacentia, spes, et similes, qui omnes maxime subsunt Spiritus Sancti motioni; nam altero modo potest illos excitare, quam sensibilia objecta sufficiant, et ita pertinent hæc ad gratiam excitantem, quæ doctrina est conformis Augustino in citatis locis, præsertim de Spiritu et littera, et ad Simplicianum; solum adverto hos motus appetitus vel phantasie interdum redundare ex actibus deliberatis voluntatis et intellectus, et tunc magis pertinere ad gratiam adjuvantem et subsequen-

tem, quam ad excitantem, quia jam sunt a nobis aliquo modo libere operantibus, saltem per quamdam dimanationem, seu concomitantiam; aliquando vero se habent hi motus antecedenter ad omnem consensum liberum, et tunc proprie pertinent ad gratiam excitantem, quamvis remote et imperfecte. Suntque valde utiles, et moraliter necessarii, spectata humanæ naturæ conditione; simpliciter vero non sunt ita necessarii, sicut intellectus aut voluntatis excitationes, quia non efficiunt ipsasmet potentias a quibus supernaturales actus perfecti eliciuntur, neque proxime illas disponunt ac præparant, et alioqui potest Spiritus Sanctus immediate operari, intellectu et voluntate illas potentias inferiores excitando, potius quam e converso. Denique ad hoc genus reducuntur externæ occasionis bonæ, et motiones externorum objectorum, ut sunt prædicatio Evangelii, juxta illud 2 Petri 3: *Vestram excito in commonitione sinceram mentem*, exempla Sanctorum, et similia, quæ licet ab Augustino disputante contra Pelagium, sub lege et doctrina magis quam sub gratia soleant comprehendi, nihilominus, generatim loquendo, beneficia gratiæ sunt, et sub gratia generatim dicta contineatur, ut in principio hujus materiæ dixi. Et aliquo modo juvant, quamvis per se non sufficiant; juvant autem ut instrumenta quibus Deus utitur ad homines interius excitandos, et ideo ad gratiam excitantem revocantur, ut ex Augustini sententia sæpe in superioribus dixi, præsertim in libro de Spirit. et litter., cap. 33, lib. 4 de Peccat. merit. et remiss., cap. 22, et quæst. 2 ad Simplicianum.

## CAPUT VIII.

UTRUM GRATIA EXCITANS SIT NECESSARIA SOLUM ANTE FIDEM ET ALIOS HABITUS INFUSOS, VEL ETIAM POST ILLOS.

1. *Absolute loquendo, nemo potest converti ad Deum, nisi prævia gratia excitante.* — Hæc quæstio necessaria visa est tum ad magis explicandum munus et necessitatem gratiæ excitantis; tum etiam quia est unum ex punctis hoc tempore controversis, occasione eorum quæ Molina in sua Concordia docuit. Supponimus autem, ex dictis in capite præcedenti, absolute loquendo, neminem posse ad Deum converti, nisi prævia excitante gratia. Id enim apertis verbis definit Conc. Trident. sess. 6, can. 3: *Si quis dixerit sine excitante et adjuvante gratia, etc.*; et August., l. 83 Quæstio-

num, quæst. 68, dixit neminem posse venire ad Deum, nisi admonitum et vocatum; et lib. 2 de Peccat. merit., cap. 18, ait ideo scriptum esse Deum operari velle in nobis, quia sine ipso excitante et vocante nihil possumus. Quæ sententiæ et definitiones non possunt explicari regulariter, velut in plurimum; tum quia est contra vim Conciliorum et Patrum, qui contra Pelagium absolutam gratiæ necessitatem docere voluerunt; tum etiam quia æqualem necessitatem ponunt in gratia excitante et in adjuvante. Non obstante autem hac necessitate, in explicatione et applicatione illius ad diversos casus, opinionum diversitatem invenio, ad quos explicandos, varios status hominis in ordine ad Dei excitationem et vocationem distingo.

2. *Status quæstionis.* — Primus est eorum qui nunquam exterius vel interius vocati sunt, et de his nulla est in præsentis quæstio; nam illi indigent maxime divina excitatione, et hoc ad minimum docent Concilia: quomodo autem possint hi homines hanc vocationem obtinere, libro sequenti videbimus. Secundus status est hominis semel ad fidem sufficienter vocati, qui vocationi restitit, et credere noluit, retinet tamen vocationis memoriam: nam si penitus fuisset illius oblitus, perinde reputaretur ac si nunquam illam habuisset. In tertio statu ponimus hominem non solum vocatum ad fidem, sed etiam jam credentem, ac proinde habentem habitum fidei infusum, vel etiam habitum spei; non quoad hoc utriusque est eadem ratio. Et in hoc statu potest moveri quæstio de necessitate excitationis, vel ad eliciendos actus fidei et spei, vel ad eliciendum actum contritionis, et se disponendum ad justificationem. Quartus denique status esse potest hominis jam justificati.

3. *Prima opinio Vegæ.* — Prima ergo opinio esse potest gratiam excitantem in solo primo actu esse simpliciter necessariam, in reliquis vero esse posse utilem, non tamen necessariam, saltem ad conversionem. Ita sentit Vega, lib. 6 in Trident., cap. 7, ut in ultimis verbis aperte declarat, dicens: *Neque nos solam adjuvantem gratiam posse sufficere concedimus in aliis quam fidelibus, vel in eis qui jam aliquando beneficio gratiæ excitantis ad fidem, aut conversionem suam exstimulati, novo stimulo non indigent.* Et ideo, cum Concilium dicit peccatores, excitante vel adjuvante Dei gratia, converti, cap. 5, et utramque esse necessariam, can. 3, Vega exponit ideo dictum esse, quia est communis et trita via conver-